



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Religionis præcipua cura habenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

De armorum & litterarum conjunctione eleganter quidam. Arma Deorum inventa sunt, & à Vulcano fabricantur; litteræ Deorum proles ex Jovis cerebro prodierunt. Arma Bellonam colunt, litteræ Palladem. Arma ad fortitudinem & audaciam animum exercent, litteræ mentem honestate & virtutis amore excolunt. Armatus ab hoste non facile vincitur, sapiens à fortuna. Armatus gladios & vulnera non timet; sapiens mortem contemnit. Armatus res in manibus gerit; sapiens in consilio. Armis dura franguntur, sapientiâ emolliuntur. Arma in corpus potestatem gerunt, sapientiâ in animum. Armis Rempublicam defendimus; doctrina servamus. Armis libertatem propugnamus? doctrina discernimus. Armis imperia distendimus; doctrinâ & Jure sub pace retinemus. Ab armis robur & vires Reipublicæ accedunt; à litteris industria, doctrina, ars donatur.

II. (c) Intelligas etiam per Palladium, virtutem Religionis, seu cultûs divini, qui ne labefacteretur, aut loco moveatur, summa cura habenda, & magis pro *Aris* quàm pro *Focis* excubandum. Est enim Religio fulcrum imperii, basis Reipublicæ, munimentum regnorum, fundamentum politicæ, tutela tranquillitatis publicæ, & anchora sacra; quâ motâ, turbantur omnia, & certissimo naufragio exponuntur. Trojani Palladium in arce summâ, tanquam firmissimo loco collocârunt. Ita Religio ante omnia in tuto est reponenda. Subintrârunt tamen tenebris occultatæ vulpeculæ, *Vlysses* & *Diomedes*, perque insidias interfectis custodibus, utique dormientibus, salutare signum abstulerunt. Agnoscas hæreticos, qui recti palliolo novi Evangelij, initio fraudulentis verbis, postea ostentatis armis, subeunt urbes Catholicas, & inde Palladium, hoc est, sinceram, castam, antiquam, orthodoxam religionem, ex quâ salus omnium pendet, convellunt & exterminant. Quis admisit? *Dum dormirent homines, venit inimicus homo.* Matth. 13.

III. (d) Præterea Palladiô significatur, sapientiæ præsidio feliciter Respublicas administrari atque florere. Juxta Salomonem: *Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum, & rex sapiens stabilimentum populi est.* Sap. c. 6. Et Plato dicere solebat, tum demum benè cum rebus humanis actum iri, si vel Philosophi regnarent, vel reges philosopharentur. *Vatibi terra, cuius Rex puer est, & cuius principes manè comedunt.* Ecclesiastæ. 10. quod fecerunt Trojani, non manè tantum, sed etiam noctu, vino, somnôque sepulti. Palladium è cælo lapsum esse fingitur, ad indicandum, sapientiam creatam, ab increata ortum habere. Ecclesiasticus de ea cap. 24. *Ego quasi aquaductus exivi de paradiso.* Instar fluvii è perenni fonte per legum

(c) Religionis præcipua cura habenda. (d) Sapientes, Salus populi.